



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ad annum Christi 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118618**

§. 62. Sententia in Navarræ Regnam ab eodem Pontifice pronuntiata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

at a muneris sui executione arce-  
bantur. (\*)

Sæcul. XVI.  
A.C 1563.

§. LXII.

*Sententia in Navarræ Reginam ab  
eodem Pontifice pronuntiata.*

Alia adhuc res agebatur, quæ mul-  
tis rumoribus ansam præbebat, atque  
ob Pontificis indignationem contra Fran-  
ciæ Oratorem orta credebatur (\*\*). Nam  
Pontifex Joannam Navarræ Reginam,  
quæ palam hæresin profitebatur, in  
jus vocabat: cum enim accusationes  
adversus eam delatas excepisset, sua-  
rum partium esse censuit, ut illam Ro-  
mæ comparere juberet, unde eidem  
integrum semestre concessit, intra quod  
Romam venire, ac de sua fide, necnon  
de sceleribus eidem imputatis rationem  
reddere posset: si vero id renueret, il-  
lam tanquam de crimine convictam,  
proin jure ad supremum Regimen exu-  
tam, omnibusque suis ditionibus spo-  
liatam, declaraturus esset. Hæc agendi  
ratio æquitati, ac Ecclesiæ Gallicanæ  
libertatibus adversa a Gallis putabatur,  
nihil-

Pallav. e. 6<sup>o</sup>  
num. 7.

(\*) Si tot Præsules hæresi erant infecti,  
quid mirum, si in Laicis, ceterisque tantus  
Sedis Apostolicæ contemptus invaluit.

(\*\*) Solus id credidit Continuator, cum  
ceteri Scriptores de eo nec verbulum habeant.

**Sæcul. XVI.**  
**A.C. 1563.**

nihilominus hoc diploma Romæ affigebatur, frustra sese opponentibus Burcardo, & Lotharingio Cardinalibus: nam prævalebat juri, ac justitiæ auctoritas Romana: interim ubi Lotharingus Cardinalis severum hoc judicium compererat, Pontifici acrius rem exponebat, ac priusquam Tridentum veniret, acerbas ad eum dedit literas: verum Pontifex mox ei hæc in responsis dabat: „quod ad Joannam Nava-  
„varræ Reginam spectat, jam illam in  
„jus vocavi, sexque menses illi consti-  
„tui, ex quibus singula bimestria  
„perinde se haberent, ac unus ex  
„tribus terminis judicialibus: porro  
„factum infectum fieri non potest, si ta-  
„men illa resipiscit, filioque permittet  
„sacro interesse, cuncta sedabuntur,  
„sin minus, Deus rebus prospiciet.,  
Idem ferme circa Cardinalem Castillo-  
neum, aliosque Franciæ Præsules Ro-  
mam evocatos rescripsit, & suæ senten-  
tiæ æquitatem propugnavit.

§. LXIII.

*Rex de hac sententia apud Papam  
questus.*

**Thuan. l. 35.**  
**cap. 5.**

Cum Rex, Regina, omnesque Gallici Regni Proceres hanc agendi rationem ægre ferrent, mox ad Henricum Clutinium Oyselium, qui in Romana  
Legatus